



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lilivm Inter Spinis

Sterre, Jean Chrysostome van der

Antverpiæ, 1627

Cap. XVII. Videt Angelos in Matutinis Laudibus incensum ministrantes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43032

(quas puto posse dici vim concupiscibilem) purgare ab omni delectatione peccati; vt in memoria abundantia suauitatis Domini, & charissimæ Matris eius, nos quoq; delectari possimus.

CAPVT XVII.

Videt Angelos in Matutinis Laudibus incensum ministrantes.

ALAVDE Dei & commendatione Fratris nostri, & ab ædificatione morum non vacat & illud, quod eodem Fratre nostro referente cognouimus: videlicet, quòd in Laudibus Matutinis, cùm cantaretur ex more Euangelicus Hymnus, Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitauit, & cetera; Dominus eum, quem ex omni plebe sua sibi peculiariter elegerat, suauitate mirifica visitare dignatus est, faciens illum sentire suauitatem odoris incensi. Quippe, cùm in Ordine nostro. tantùm in quatuor solemnitatibus

Lucæ i.

Sub Cantico Benedictus similem sentit fragrantiam.

ORDINIS PRAEMONST. 55
tibus praecipuis, Natiuitatis scilicet, &
Resurrectionis Dominicæ, & sanctæ
Pentecostes, & Dedicacionis Ecclesiæ,
ad Matutinas deferatur incensum:
Beatus iste, qui in corde quotidianam,
imò continuam solemnitatem agebat;
in benedicendo Dominum in omni Psal. 33.
tempore delectatus, quotidianis quo-
que diebus, in Hymno Benedictiõnis
Dominicæ solemnem non immeritò
persensit odorem. Agitur nihilomi-
nùs & contra acediæ nostræ torporem
quæstio in hoc, * qui pigri ad surgen-
dum nocte media, cum Psalmista: pi-
gri ad gloriosum & laudabilem col-
laudandum, veloces ad recurrendum
in pigritiam strati nostri, in laudibus
Domini non perseueramus in finem.
Spero etiam, quòd ea de causa, in eo
Cântico in quo Dominus benedicitur,
pro eo quòd visitauerit plebem suam;
tam crebrò gratiam spiritualem per-
senserit Domini benedictus, vt ei pri-
mùm, postmodum & nobis daretur

* Fortè
quòd.
Psal. 118.

D 4 aduer-

aduertere, quòd ipse specialem à Domino legillatore gratiam percepisset: vt per eum Dominus plebem suam, & specialiter Ecclesiam in qua gratiam illam sensit, visitare redimereque deberet; ipsumque in cornu salutis erigeret in domo, in qua fuerat à puerili ætate nutritus. Hoc autem valdè notandum est, quod nobis ipse (haud dubium, quin de seipso, tamquam de alio) referre solebat: videlicet, quòd in eodem tempore, quo ipse mirificum odorè in Laudibus Matutinis persensit, quidam de Fratibus duos Angelos, dextra læuaque Fratibus præbentes incensum, conspexerit: & quibusdam quidem præbebant hilariter, & deuotissimè inclinabant; alios verò, sub quadam negligentia, præteribant; à quibusdam verò, tamquam in quodam horrore, * resilierunt omnino. Facile autem dabatur intelligi, quid Angeli in Fratibus vel venerarentur, vel fugerent; cum noster contempla-

tor

*Videt duos
Angelos
ministran-
tes incen-
sum.*

** Fortè re-
siliabant.*

tor nomina exprimeret singulorum. Illi enim quibus Angeli thurificando & inclinando exhibuerunt honorem; tales cognoscebantur existere, qui Dominum & corde & voce laudarent: alij verò, quos negligentius præteribant, vel non cantando, vel minùs aduertendo quid canerent; se aspectu Angelico * reddiderunt indignos: tertij verò, quorum vita mors erat, siue cantantes, siue tacentes, à sanctis ministris tamquam fœtencia cadauera * fugiebantur; nobis procul dubio documenta præbentibus, quantum nostris bonis studijs & bonis actibus, maximè in Dei laudibus, sancti Angeli delectentur; & quantum peruersitatem morum nostrorum, & nostram accediam exsecrentur.

* Fortè reddiderant.

* MS. habebat fugiebantur, sed legendum fugiebantur.

D 5 CA-